

ficientibus, qui consilio adhibito & data opera dignos munere scholastico obeundo se effecere, ii in supplementum ad administrandas paedagogorum partes admittantur, qui longe aliud litterarum genus vel tractarunt, vel attingerunt, & diu spem abiecerunt potiundi in eo praemii ac publici officii. infelicem scholam, quae hos infelices alit: a quibus nec ornamentum, nec emolumentum vllum: nam hi eo modo ducunt suae fidei fato commissos, quo se ipsos ductos, nisi malis seductos, olim fuisse, tamquam ex somnio recordantur.

§. V. VERVM enim vero vbi est illa officina, in qua adparatur, & praeparatur genus hominum, qui praeceptores agant aliquando. non in scholis: vbi praeceptores plerumque ipsi demum longo vsu praeceptores fiunt. nimirum quia nullo duce, nullo consilio; sed casu, sed fato in res scholasticas non deueniunt, sed inciderunt plurimi. neque in academiis scholas multis curae esse videas: vbi e scholis egressi, libera omnia, grandia omnia, sublimia omnia sectantur. praecipiti cursu & insigni temeritate ad caelestem doctrinam properant: baldum crepant & hippocratem. non horum quisquam ad scholastica vel tamquam *παρρηγορον* intentus: nisi dubitet, sacras, forenses medicasque formulas fructuosas fore. diogenis autem face quaereres vtrobique, qui id sibi tantum proposuerunt, vt artes, quibus prima aetas inbui debet, solide & tamquam rem, cui inhaerere velint, excolant,

§. VI. EX quibus, quae facies sit scholarum nostri seculi, & quae futura, nisi istis malis medeatur, nemo non iudicabit, copia est scholarum: inopia, non quidem praeceptorum, sed dignorum praeceptorum. istis igitur si quis consultum velit; horum augeat numerum, necesse est. formandi sunt in academiis, qui forment in scholis & priuatis & publicis. ibi instruendi, qui heic instruant: ibi perficiendi, qui heic perficiant. hinc qua ratione, qui vel primam vel omnem operam iuuenibus, aut publice aut priuatum docendis, consecrarunt, in academiis se ad hoc sacrum opus dignos praeparare possint, iam explicatum ibo: ita tamen, vt in pauca conferam, quae prolixius dici possent. neque iam vacat reuoluerem, quos legi olim de re scholastica praecipientes: sufficiat,